



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.4. Gratia dispendium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

morfu. *Boëtius de consol. Phil. l. 3.* Ipso in
 procinctu audies conscientiam oblatran-
 tem: Ah! miser, quò ruis? ubi pudor? ubi
 Deus? Hic, hïc juxta te; quem videntem,
 quem vindicantem non effugies. Ipso in ex-
 itu ita perorabit: Admisisti? consensisti in-
 felix? & quidem tua illa voluptatula, tanto
 ambitu quæsita, ex oculis evanuit: ex oculis
 dico, non ex animo; apud quem restat ex
 illa posthumus dolor, longè acerbissimus
 partus. (In felle amaritudinis, & obligatio-
 ne iniquitatis video te esse. *Act. 8.*) Agnos-
 ce igitur. Non postrema gaudii modò, sed
 principia quoque luctus obsedit. Sit ante
 oculos Aminon, (*2. Regum 13.*) Ille, ille con-
 tabescens & desiderio sceleris, & fastidio:
 miser utrobique, post & ante peccatum; sed
 utrobique speculum tui.

§. 4. *Gratia dispendium.*

Atque hæc damna ne gentiles quidem
 nesciêre. Accipe nunc, quæ Christiani, quæ
 Patres, quæ Fides tua persuasit.

Ad pecudum sortem miseros, dixi, vene-
 fica illa prorsus abjecit. Utinam hïc finis
 esset, & non etiam ad dæmonum horribi-
 lem conditionem damnaret! Aspici-
 te, Adolescentes, quæ doleant. Animum
 ego

DE TIMORE DOMINI. 9

ego vestrum, quem vidistis nunquam, ante oculos sisto: sed heu, quali quantoque è statu dejectum! quàm mutatum ab illo regio, innocente, purissimo spiritu, qui inter Angelos quoque triumphabat! Nimirum, ex quo voluptati sacramentum dixistis; amicitia gratiaque Dei destituti, hostes bonorum omnium, Christi adversarii, tetram, olentem, fuliginosam in corpore animam gestatis, infami dæmonis cauterio inustam, & tantum non dæmones estis. Vidistis in tabellâ hinc Michaëlis, indè Luciferi dissimillimam effigiem? ut ille decoro vultu, fronte sublimi, erectam cælo cervicem gerit formosissimus juvenis; hic contrâ scintillantibus oculis, dirissimâ illuvie, membris obtortis, monstrum horrendum, informe, ingens, cui gratiæ lumen ademptum? Uterque animi vestri simulacrum est: ille, gratiæ donis conspicui; hic, peccati labe deformati. Heu me! Quid prodest hoc corporis cadaver circumferre, si animus, caput vitæ, interiit? Audi Sapientem: (*Eccli. 21. v. 2.*) *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Audi Sapientiam: (*Luca 12. v. 5.*) *Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere*

tere in gehennam. Quis ille autem? Deus? imò Deus non mittit nisi in cælum, *bonus ex suo, justus ex nostro.* Est ergo, est peccatum causa furoris, & irarum caput. Hic gehennæ pater, hæc origo mali metuenda tibi.

§. 5. *Diaboli servitus.*

Ecce aliud ex illo malum. Nam quia sese Deo subduxit; in nervum, in catenam, in herilem, imò tyrannicam, diaboli servitutem conjectus est. Excessit à latere impuri clientis purissimus patronus; non sustinet teterimum halitum animæ infelicis: ei in locum succedit Rex & Dominus, qui tandem? dæmon certè. O qualem custodem! cui dies noctesque non aliud incumbat, quàm misero gulam aut frangere, si liceat, aut fringendam objicere. Et nos in tanto periculo, tamque vicino mortis, hostis, flammæ perennis, hilares sumus? ad expiatorium sacramentum non confugimus? ô insaniam! Sic in morbo *ridet phreneticus; sed non est sanus.* (*Augustinus.*) sic inter haras exulat à parente *prodigus*, exulat à filio, addictus *uni civium*; nam *aut Dei sumus, aut Diaboli; nihil medium.* [*Idem.*]

§. 6. *Varia animi & corporis damna.*

Quid illi verò in tali solitudine? Quid dico